

Kamil Kantak

"Prowincja litewska Sióstr Miłosierdzia", Stefan Rosiak, Wilno 1933 : [recenzja]

Collectanea Theologica 16/3, 422-424

1935

Artykuł został zdigitalizowany i opracowany do udostępnienia w internecie przez Muzeum Historii Polski w ramach prac podejmowanych na rzecz zapewnienia otwartego, powszechnego i trwałego dostępu do polskiego dorobku naukowego i kulturalnego. Artykuł jest umieszczony w kolekcji cyfrowej [bazhum.muzhp.pl](#), gromadzącej zawartość polskich czasopism humanistycznych i społecznych.

Tekst jest udostępniony do wykorzystania w ramach dozwolonego użytku.

RECENSIONES.

Rosiak Stefan, Prowincja litewska Sióstr Miłosierdzia.
Wilno 1933, str. 310.

Ultimis his annis studia historica rerum gestarum monastistarum gaudiosum progressum in Polonia faciunt. Cooperantur in eis tum ipsi regulares, tum sacerdotes saeculares, tum eruditi viri laici. Patet non omnia esse aequalis valoris: aliquando contingunt labores sine sufficienti praeparatione scientifica, sed aliter accidere non potest. Inter bona opera annumeranda est haec historia provinciae Lituanae Sororum charitatis s. Vincentii a Paulo. Conscripta est a domino Stephano Rosiak. Est hic officialis Archivi Status Vilnensis. In quo Archivo inveniuntur materialia maximi valoris pro re tali elaboranda, nimirum magistratum Russicorum omnis generis acta. Quapropter d. R. potuit eis uti facilius quam multi alii externi eruditi: nihilominus magnum eius meritum restat quod ex eis bona arte et pleno modo fructum ceperat. Evidenter opus eius non in eis solis innititur, sed in multis aliis quorum indicem in initio libri sui dat. Prae aliis extollimus quod praelati provinciae pp. Missionum necnon ss. s. Vincentii sua archiva aperuerunt et felicitamus eum quod pervenit ad inquirenda acta Curiae Metropolitanae Vilnensis: non semper et non facile instituta ecclesiastica in Polonia acta sua aperiunt, certe non cum bona fama. Plus adhuc laudibus efferendum est quod provincia Polona Varsoviensis SS. Charitatis sumptus libri non minimos assumpsit. Meliorem modum honorandae trecentesimae memoriae fundationis instituti eligere non poterat.

Sororibus s. Vincentii in Polonię introductis a regina Maria Ludovica 1652, provincia propria Polona orta est a 1712 comprehensens tum domos Varsovienses tum extra urbem unicum in Chełmno. Post partitiones Reipublicae provincia quoque divisa est, tunc inter alias orta est provincia Lituaniae 1799—1800, aliis provinciis secundum fines imperiorum definitis; suam habuit Regnum Poloniae, suam Galicia, suam ditio Borussica. Aliter ac in multis ordinibus quorum diminutionem dominatio extranea adduxit, Sorores Charitatis etiam in Lituania novas domos acquirebant. Causa erat

tum ratio instituti curam proximi pae oculis qua finem principalem habentis, tum insolitus fervor et ars perfecta succurrendi miseris qua Sorores excellebant et quam imo inimici religionis non admirari non poterant. Tali modo etsi provincia existere desiit iam a. 1842, numerus domorum sexdecim assecutus est, quarum quatuor erant Vilnae, ubi etiam administratio provinciae locum habebat. Sed etiam provincia extincta singulae domus remanebant, in difficillimis conditionibus vitam et actionem suam prosequentes. Ultimae Sorores mortuae sunt a. 1888 in instituto Societatis Beneficentiae Vilnae. Restituta Poloniae independentia, iterum antiquas stationes obtinere incipiunt, ex provincia Polona vocatae, quarum hodie possident Vilnae ad Jesum Infantem et Bialystok (1921 et 1923).

Rem suam d. R. absolvit duabus partibus. Prima generalis comprehendit tria capitula: conspectum Congregationis s. Vincentii, relationem gubernii Russici ad Ordines in Imperio, res gestas provinciae Lituanae Sororum Charitatis. Pars secunda specialis enumerat singulas domos provinciae descriptitque. Sequuntur indices etc.

In prima parte generali stricte respiciendo non nisi tertium caput ad thema pertinet. Gaudemus vero quod author duo prima quoque addidit. Opus s. Vincentii a Paulo latioribus sphæris societatis non satis notum est, quapropter non pauca ignota lector hic inveniet, addique oportet d. R. narrationem suam secundum hodiernum statum scientiae historicae texere quod appareat e. g. in nuper enucleato vero anno nativitatis s. Vincentii. Maiorem adhuc gratiam habemus authori de capite secundo. Hic tractat in genere totum modum procedendi gubernii Russici cum statibus religiosis. Potuit tale thema absolvere melius quam multi alii, habens sub manu acta Archivi status. Res autem indigebat minutis inquisitionibus, magna diligentia, subtili arte procedendi. In quo enucleando videtur nobis, ulterior investigatio adhuc plurem lucem afferre potest. Nimis simplex est suppositio gubernium Russicum per totum tempus hunc unum habuisse finem extinctionis Ordinum et non nisi occasiones aptas quaesivisse. Iustum hoc plenissime est quoad gubernii Borussici versus Ordines relationem. In Russia tamen res magis complicatae erant. Diversa omnimodo erat ratio procedendi variorum imperatorum quorum Alexander I religionem catholicam favebat et in elemento Polono unum ex sustentamentis regni sui videbat. Varii erant modi agendi variorum gubernatorum quorum opiniones personales maiorem quam in aliis imperiis valorem exercebant. Ratio status Russica quoad Polonos in extremis versabatur, tum maioris quam ubicunque alibi libertatis et condescendentiae 1815, 1861—2, tum cruentarum post insurrectiones repressionum. Denique respiciendae sunt generales relationes omnium regnorum quoad Sedem Apostolicam, quoad Ordines etc. praesertim in primo dimidio s. XIX, necnon generalis politica religiosa

gubernii Russici erga etiam suam ecclesiam schismaticam. Eorum omnium Boudou non nisi unum aspectum praebet et propterea, absque sua intentione ceterum, nimis facile ansam dare potest sumenda partis pro toto. Fortasse d. R. materiem sui secundi capit is his omnibus respectis adhuc iterum tractaturus sit et seorsim effectus talis inquisitionis praesentabit.

Ex tertio capite et ex secunda parte tota resultat quod Sorores Charitatis per repressiones post insurrectiones 1830—1 et 1863 sublatae sunt. Utilitas eorum a relationibus officialibus non negatur: attamen propter Polonum characterem instituti eius extinctio decisa est. Simile quod — addimus hic rem a d. R. non tactam extramque eius thema positam — erat in ditione Borrussica. Et hic Sorores s. Vincentii qua Polonae curvis oculis respiciebantur, omnimoda impedimenta eis opponebantur, per aliquod tempus imo gubernium eas in provinciam Coloniensem incorporare quaerebat ad germanisationem perficiendam.

Concludendo hanc nostram de libro d. R. informationem, ne omittamus verbum de laudabili modo impressionis variisque illustrationibus additis, nonnullis adhuc ignotis, figuris sororum, sacerdotum etc. Gratulamus d. Rosiak de suo opere, libenterque cupimus eum historiam monasticam non derelicturum esse. Vilnae ipsius Mariavitae, Rochiti, Bonifratres evocationem suam litterariam expectant.

Pińsk

Kamil Kantak.

Fasciculus 3 edetur calendis Decembris 1935.

Permissu Curiae Metropolitanae Lat. Leopoliensis.

Foliorum Redactor: ALEXIUS KLAWEK — Lwów, ul. Supińskiego 11, m. 4.

ZWIĄZKOWE ZAKŁADY GRAFICZNE LWÓW, UL. KRZYWA 10. — TEL. 290-05.